

*qui huc corrupti concitatique venerunt*, ut duplici modo fide careant: vel quia barbari, vel quia redempti sint ad obsequium mentiendi. Est hic ...

§ 4. Quem enim appellem, quem obtester, quem inplorem?

... Oratorie interiacit addubitationem, quasi omnium periclitantium animus aestu quodam magnae sollicitudinis inquietetur: ut incertum sit, cuius ordinis potissimum imploret auxilium, cum in huiusmodi rebus ita singuli periclitentur, ut clades omnibus comparetur.

Iudicabitis principes eius ordinis quinquaginta, quid cum omnibus senseritis.

Lex enim Aurelia iudiciaria ita cavebat, ut ex parte tertia senatores iudicarent, ex partibus duabus tribuni aerarii et equites R., eiusdem scilicet ordinis viri.

§ 5. Condemnatus est is, qui Catilinam signa patriae inferentem interemit.

Gaius scilicet Antonius, collega Ciceronis, M. Caelio Rufo accusante non tantum pecuniarum repetundarum crimine, verum etiam ob hanc coniurationem non ita pridem damnatus fuerat. Nec ignoramus praefuisse exercitui, quo Catilina superatus est: quamvis ipse Antonius vel pedum valetudine vel conscientia retardatus Petreium legatum suum miserit, qui cum hoste configeret.

Cur sibi confidat is, qui ea proferenda et patefacienda curavit?

... haec ad semet ipsum refert periculi etiam sui gradu quodammodo adiecto, ut omnes, <qui> coniuratos